

1495 cum Hispanæ classis navibus quadraginta, quam superiore libro missam in Siciliam dixeramus, & suis cum tremitibus duodecim Aenariam ad insulam, quæ ab eo non defecerat, venit. Atque illis ipsis quidem diebus res ejusmodi acciderat, quæ magnam invidiam in Gallos conflaverit. Nam cum ii, qui Cajetæ prærerant, navem longam remigibus instruere vellent, municipesque imponere, illi se cogi passi non sunt, palamque prædicaverunt, *nolle se contra Ferdinandum regem duci*: atque ad arma capienda profilierunt. Galli eos veriti, se in arcem oppidi receperunt, atque ad auxilia proximis ex oppidis evocanda miserunt: quibus adductis magnam civium cædem fecerunt, magnam in oppidanos stragem ediderunt, matribus familias & virginibus vulgo in servitutem atque libidinem abductis. quæ intellecta res Neapolitanorum animos jam ante infensos & labantes, ab Gallis magnopere averterat. Ea cum sic cecidissent, ipse autem Ferdinandus Neapolim non obscuris multorum vocibus sermonibusque acerseretur, quem etiam adventare intelligebant, spei atque fiduciae plenus ab Aenaria naves solvit, atque ad littus Neapolitanum classe appulsa, non longe ab oppido expondere milites cum vellet, impeditus a Gallis atque rejectus, de tota re desperans, quod ab oppidanis nihil sibi auxilii emitti, nihil tumulti fieri animadverterat, ad Aenariam revertebatur. at civitas ægre id passa, armis captis, Gallos partim ejicit, partim in arces, quæ ab illis tenebantur, conjecit. Id a piscatoria navicula Ferdinando nunciatum, spem ei pristinam facile restituit. quamobrem sua cum navi incitatis remigibus statim Neapolim rediens, magno populi consensu in oppidum receptus est. Ita parvo temporis spatio sæpius modo bonam, modo adversam expertus fortunam, ac variis rerum suarum eventis tanquam fluctibus jactatus, cum id minime fieri posse consideret, ab eadem quasi tempestate atque ventis in portum conjectus est. Pauloque post Galli, qui ei arcis prærerant quæ Capuana appellatur, se se atque arcem Ferdinando dediderunt. Tum naves Gallicæ sexdecim,